

III.
NEOVIDENSIS

Nro 31. (Neovidensis 1805. Nro 27.)

Ex campis Elysiis

Sermo Politicus

De novo Regno in Italia.

Elysiam - Meum. -- Die Veneris 16. April. 1805. (Neov. 2. April)

Propositio:

Quemadmodum pastinaca, ita etiam homines ex uno regno in aliud transplantantur: patet hoc ex migratione Gentium.

Barthol. l. 3. c. 6.

In translatione lactuæ, quæ hoc mense Aprili fieri solet, incidit mihi observatio italici eruditi Bartholi: Ita de loco in locum transponuntur homines, sicut pastinaca, lactuca, & aliæ plantæ. Notio notionem trudit, et quoniam de novo Italiæ regno jam tanta legi, imo ipse etiam scripsi, ingens multitudo cogitationum me obruit adeb, ut quæstionem mihi formaverim: Non suntne incolæ novi Italiæ regni etiam ita translocatæ pastinacæ?

Et reipsa tales sunt. Longobardi, vel Lombardi non propterea, quod longas aluerint barbas ita dicti, sed ab usu longarum bipennium, quas bardas compellabant, originem ducunt ex Scandinavia, vel Svecia. Ergo septemtrionales pastinacæ. Longo tempore constiterant in vicinia Albim inter, & Oderam, & tunc iis nomen Vinilorum adhæsit. In Pomerania immortalem sibi gloriam pepererunt expugnando insulam Rugiam. Teste Prospero A. 389. post Christum natum elegerunt sibi Regem invicti animi heroem, Agelmondium. A. 526 rexit eos Anduinus, qui amplificandi imperii œstrø correctus duxit Longobardos in Pannoniam, ubi victricibus armis A. 560. Ostrogothorum regno finem imposuit. Fortitudinem hujus populi omnis mirabatur, sed cupiditatem acquirendi reformidavit. A. 568. ad clavum imperii sedebat Albion. Hunc Eunuchus Narses, profligato Totila, invitaverat ad faciendam in Italia irruptionem, venit Ticinum, urbem hanc triennio obsessam cepit, & A. 571. se Regem Italiæ proclamavit. Successit ei Elephis, quo mortuo Longobardis per decennium 30 Principes imperitabant, usque dum A. 586. Antharis Rex crearetur. Istum exceperere diversi successores; Anno tandem 774. Imperator Carolus Magnus ultimo eorum Rege Desiderio de throno dejecto evertit Longobardicum imperium. Memorabile est, ex regno Longobardorum prodii-

visse celebre illud jus feudale, quod deinde tota fere Europa receperat.

Regnum Longobardicum longe, lateque patebat; ad ejus ditionem pertinebat territorium Paduanum, Veronense, Vincentiense, Brixienne, Cremonense, Bergomense, Ducatus Mediolanensis, Mantuanus, Pedemontanus, Comitatus Nicæensis, Ducatus Montferratensis, Mutinensis, Parmæ, & Placentiæ, Mirandulanus, & aliæ præterea provinciæ. Longobardi ea conditione se Imperatori Carolo Magno subjecerunt, ut in suis libertatibus, privilegiis, atque legibus conserventur. Et revera extat codex, in quem omnes hæ singulares leges relatæ sunt, & multa Capitularia hujus Imperatoris reperiuntur.

Hæc bellicosa natio ex Germania septentrionali in Italiam transplantata sub mitiore climate mores suos emollivit, victa tandem tradidit se commercio. Inter Genuam, & Venetias posita naviter adjuvit utrumque hoc emporium. In omnibus extraneis regionibus degebant Lombardici mercatores; Parisiis hodiedum est platea, quæ eorum nomine insignitur, Amstelodami autem locus permutationis numariæ longo tempore Longobardicus vocabatur. Domus feneratoriæ in præsens etiam dicuntur inventum Longobardorum, quamvis deinde, ubi status mercato-

rius despiciatui esse cœpit, hæc nomenclatio per contumeliam usurariis sit attributa — Non videmusne nostro etiam ævo incolas Longobardiæ in omnes Europæ urbes, & in alias quoque mundi partes quæstus gratia colonias duxisse, quod ex aliis italicis provinciis non nisi raro factum est. Florentini, Romani, Neapolitani, Siculi &c. hoc spiritu negotiationis non aguntur, probabilius quia eum a suis Majoribus hæreditate non acceperunt; patria sua non facile excedunt, uti Longobardi, ipsi etiam Genuenses, qui magnum quæstum faciunt, negligunt parvam mercaturam, cui Longobardi inde a primis ungviculis addicti erant, neque solent emigrare.

Mediolanum, Regia hodierni novi regni sedes jam antiquitus terribilia habuit fata. Jam prius, quam Longobardi fuissent Italiam ingressi, sæpenumero fuit a Barbaris, Gallis, Hunnis, & Gothis vastata. Belisarius eam ad preces Archiepiscopi Dacii eripuit Ostrogothis, sed Vitiges Rex Ostrogothorum eandem A. 539. iterum recuperavit, qua occasione plura quam trecenta millia incolarum fame, & bello perierunt.

Imperator Carolus Longobardiam una cum Mediolano suo occidentali imperio adjunxit. Urbs hæc opibus ac potentia inclauit, & uti ab orbe condito usque ad nostra

tempora fieri consuevit, superbia, utpote naturali divitiarum consecratio elata est. Imperatori Friderico I, alias Barbarossa dicto denegarunt Mediolanenses obedientiam, quapropter eosdem bello aggressus est, & A. 1160. victos obedire coëgit. Illi quidem majori vi cesserunt, sed spirantes vindictam odio prosequabantur victorem, & reipsa non fuisse sincerum eorum erga Cæsarem affectum, docuit paulo post triste factum. Imperatoris conjux, Beatrix Burgundica, curiositate ducta videndæ tam celebris, & ferè maximæ urbis venit Mediolanum, at habitatores non tantum nullum ei exhibuerunt honorem, sed conflata seditione, & occisis præsidiariis, comprehensam imposuerunt averso vultu Asino, & in ludibrium circumcuxerunt per compita totius civitatis.

Interim, haud multum processit temporis, & ob infandum hoc facinus severas dedere poenas. Imperator adducto exercitu cinxit Mediolanum, atque A. 1162. 3 Martii potitus seditiosa urbe, jussit eam totam, exceptis tribus Ecclesiis everti, & solo æquari. Et ut memoriam poenæ ob illatam Imperatrici infamiam dictatæ nulla unquam deleat oblivio, territorium, in quo steterat Mediolanum, curavit subarandum, & sale respergendum.

Nonnulli infeliciam Mediolanensium, qui terga verterant, tardius deinde redierunt, cœ-

peranteque rursus ædificare domos, & a Romano Pontifice Alexandro III. adjuti, A. 1171 novum iterum Mediolanum erexerunt. Ast pristina dominatio tam cito non est restituta. Urbem hanc varii Domini, & Duoës administrabant, quorum præcipui erant Viscontii, & Sforzæ. Vicinæ gentes propter Mediolanum gravia, & diuturna gerebant bella adeo, ut affirmare liceat, nunquam in tam parvo spatio, quale Lombardia tenuerat, ulibi terrarum tot bella, obsidiones, occupationes urbium, & recuperationes locum habuisse, atque in ista regione.

Scriptores gallici memoriæ prodiderunt, ab Imperatore Carolo V. fuisse Galliaë Regem Franciscum I. diutissime lactatum spe obtinendi Mediolanum, hoc tamen promissum nunquam ivisse in effectum.

Reliqua fata Mediolanensium sunt satis, superque nota; Semper bella eo detorquebantur, donec tandem Gloriosa Theresia post durum conflictum pacem in Italia stabilivisset; qua diu durante, multæ nationes insolentes redditæ, spe futuræ melioris sortis seditiones animo volvebant, unde atrocissimum omnis patrimonii exidium subsecutum est.

Hæc est imago provinciæ, quæ modo ad dignitatem regni evehitur. An per id major sit futura quies, & tranquillitas, nemo po-

test determinare, nisi foret propheta, sed nostra ætate Prophetæ exhibentur.

In simili notatu digno statu versabatur olim etiam Hollandia. Præsentem ejus conditionem videtur sequens novatio conclusura,

Haga Comitum 27. Martii.

Occasione propositæ novæ pro Republica Batavorum constitutionis Hasseltanum membrum in suo ad factam ea de re a delectis viris relationem dato scripto ingentem manifestat perturbationem, in quam se qua civem Reipublicæ in eligendo vero Patriam liberandi remedio conjectum videt; Agnoscit quidem parte ab una, in præsentibus rerum adjunctis interituram patriam, nisi in unum contracta potestas constituatur, quæ omnes benignas institutiones, quæ hætenus ad pia desideria pertinebant, procuret populo Batavico, cum primis autem toties promissum, sed nondum opere completum, novum & melius ærarii publici Systema ad exitum perducat.

At parte ab altera ob circumstantias, tristem Reipublicæ conditionem, politicum Europæ situm nullam aliam electionem superesse putat, quam unicam populo salutis viam proponere, ut civis Ruiger, Joannes Schimmelpennink cum plena potestate Reipublicæ præficiatur.

peranteque rursus ædificare domos, & a Romano Pontifice Alexandro III. adjuti, A. 1171 novum iterum Mediolanum erexerunt. Ast pristina dominatio tam cito non est restituta. Urbem hanc varii Domini, & Duces administrabant, quorum præcipui erant Viscontii, & Sforzæ. Vicinæ gentes propter Mediolanum gravia, & diuturna gerebant bella adeo, ut affirmare liceat, nunquam in tam parvo spatio, quale Lombardia tenuerat, ulibi terrarum tot bella, obsidiones, occupationes urbium, & recuperationes locum habuisse, atque in ista regione.

Scriptores gallici memoriæ prodiderunt, ab Imperatore Carolo V. fuisse Galliæ Regem Franciscum I. diutissime lactatum spe obtinendi Mediolanum, hoc tamen promissum nunquam ivisse in effectum.

Reliqua fata Mediolanensium sunt satis, superque nota; Semper bella eo detorquebantur, donec tandem Gloriosa Theresia post durum conflictum pacem in Italia stabilivisset; qua diu durante, multæ nationes insolentes redditæ, spe futuræ melioris sortis seditiones animoolvebant, unde atrocissimum omnis patrimonii exidium subsecutum est.

Hæc est imago provinciæ, quæ modo ad dignitatem regni evehitur. An per id major sit futura quies, & tranquillitas, nemo po-

test determinare, nisi foret propheta, sed nostra ætate Prophetæ exhibentur.

In simili notatu digno statu versabatur olim etiam Hollandia. Præsentem ejus conditionem videtur sequens novatio conclusura.

Haga Comitum 27. Martii.

Occasione propositæ novæ pro Republica Batavorum constitutionis Hasseltanum membrum in suo ad factam ea de re a delectis viris relationem dato scripto ingentem manifestat perturbationem, in quam se qua civem Reipublicæ, in eligendo vero Patriam liberandi remedio conjectum videt; Agnoscit quidem parte ab una, in præsentibus rerum adjunctis interituram patriam, nisi in unum contracta potestas constituatur, quæ omnes benignas institutiones, quæ hætenus ad pia desideria pertinebant, procuret populo Batavico, cum primis autem toties promissum, sed nondum opere completum, novum & melius ærarii publici Systema ad exitum perducat.

At parte ab altera ob circumstantias, tristem Reipublicæ conditionem, politicum Europæ situm nullam aliam electionem superesse putat, quam unicam populo salutis viam proponere, ut civis Rutger, Joannes Schimmelpennink cum plena potestate Reipublicæ præficiatur.

Cæterum ne iudicium populi antevertat, mavult eventum suæ consultationis cohibere, præstolarique determinationem populi Batavici.

PUBLICANDUM.

1.

In nexu circularis Intimati, circa unum Alumnatum pro Juvenibus etiam Hungaris in neo . erecto Viennensi Cæsareo-Regio Convictu elementer fundatum, cunctis Regni Jurisdictionibus Politicis, atque Literariis sub 20. Novembris a. p. Nro 25528. Excelso Loco expediti, Excelsum Consilium L. R. d. d. 5. Martii a. c. No 4950. de Benigna mente Regia ultro etiam intimandum duxit: ut ii, qui pro mentionato Alumnatu recurrere voluerint, libellos suos supplices præscriptis Testimoniis Scholasticis, & aliis Attestatis munitos, deinceps terminato utprimum examine finali anni scholasticæ directæ Altissimo Loco exhibeant.

ANNUNCIATIO.

1.

Domino Mathia Kirinich, in Regia Academia Zagrabiensi Historiæ Pragmaticæ Hungariæ Professore fati functo, taliterque hac ejus Cathedra cum annuo 500 fl. Stipendio vacante effecta, Concursus pro eadem Cathedra die 3. Junii a. c. in Regia Scientiarum Universitate Pestiensis coram Facultate Philosophica celebrandus publicatur.
